

Sacris predicatur. Non tamen quasi in tempore prolatus sit, sed ab omni aeternitate, etiam antequam in Utero Virginis conceptus est fuit substantia, per se ante carnem vere subsistens, qui post demum caro factus est, Job. 1. 14. & semen Abrahae assumpsit, Heb. 2. 16.

XXV.

Hic $\gamma\theta\gamma$ & erat Deus, non certe creatus, factitius, nuncupativus, adoptivus, sed Deus Verus 1. Johan. 5. 20. ante complementum promissionum, sic in principio, ut fuerit ante principium rerum omnium conditarum, illudque rebus omnibus principium dederit. Ioh. 1. 3. Quomodo enim Filius non erat à principio, scribit Basilus contra Eunom. l. 2. qui nihil habet, quod ante se intelligatur, nisi eum ex quo ipsum esse habet, non intervallo praevientem, sed causa (id est principium) prepositum.

XXVI.

Est igitur Unigenitus Filius, Patri dilectus, aeternaque natiuitate ex illius substantia unicus & solus genitus, & quidem ex tota substantia (sicuti perfectius est totam communicare substantiam quam partem, sic tamen ut totam simul tibi retineas, ceu Candela Candela totam communicat lucem.) Per naturam, ut est Col. 1. 17. non per adoptionis gratiam, ut nos renascentia Filii Dei simus, Joh. 3. 5. in illo siquidem solo habitat omnis plenitudo non $\theta\epsilon\iota\sigma\tau\eta\tau\epsilon\varsigma$, sed $\tau\eta\varsigma\ \theta\epsilon\iota\sigma\tau\eta\tau\eta\varsigma$ & $\sigma\omega\mu\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$, sic ut nihil sit Deitatis in Patre, quod non sit in Filio. Col. 2. 9. qua de causa sic unigenitus dicitur, ut ex eo nullum fratrem aut sororem agnoscat.

XXVII.

Hac ratione palam fit natiuitatem Dei, nec diminutionem esse gignentis, nec infirmitatem nascentis. Utrum verò potius dicendum Filium gigni, quàm genitum esse, temerariae questionis est. Si enim ad aeternum indefinentem, & sine successione & innovatione continuū generationis actum respicimus, semper generatum, fatendum est, generari & generatum iri, quãdoquidem aeternitas (absolutè sic dicta) interminabilis est ab ante & à post, ut Scholae loquuntur, & sine